

ferre; sed cum eisdem litteris dimissorialibus idest de licentia proprii Episcopi poterit conferre ordines minores. Integra hæc dispositio legitur in *c. 1. h. t.* Ratio est quia hosce Ordines minores solent ex potestate delegata conferre etiam simplices presbyteri. Quod si quis scienter fecerit se ordinari in majoribus ab Episcopo qui loco et dignitati renunciavit, absolute privatur jure exequendi receptum ordinem. Si vero ex ignorantia, dummodo non fuerit crassa et supina, poterit a proprio Episcopo dispensari et habitari ad ordinis recepti ministerium exequendum. *c. 1. h. t.*

3. In *cap. 2. h. t.* agitur de ordinatis ab excommunicato. Ad pleniorum vero rerum cognitionem proponitur resolvenda quæstio de ordinatis ab Episcopo sive hæretico sive schismatico sive excommunicato sive etiam suspenso vel interdicto.

4. Canones relati a Gratiano sub *num. 1. 2. 3. et 5. caus. 9. quæst. 1.* nullam esse et irritam pronunciant Ordinationem collatam ab excommunicatis qui nunquam, ut ait Glossa ibi, fuere catholici, idest ab hæreticis vel schismaticis. Ordinatio ab Episcopo schismatico collata dicitur etiam irrita in *c. 1. de Schismaticis*. Hæc porro expressiones certe non important intrinsicam invaliditatem ordinis collati, et nullitatem characteris. Nam 1º. Ecclesia agnovit validas ordinationes aliquarum saltem sectarum, uti sunt Ecclesia Græca schismatica et Coptica etc. 2º. In *cap. 2. h. et cap. 2. de Schismaticis* et in *can. 5. c. 9. q. 1.* misericorditer idest ex legitima dispensatione admittuntur in exercitio ordinis qui fuerunt in bona fide promoti ab hæreticis vel schismaticis. Porro ratio ignorantia ex parte promoti nihil influere potest circa valorem ordinationis schismaticorum, cum validitas vel invaliditas procedit ex potestate quam habet vel non habet hæreticus vel schismaticus minister. Dicuntur ergo irritæ et vacuæ ordinationes hæreticorum et schismaticorum 1º. de illis hæreticis qui formam substantialiter vitiarunt; 2º. de illis vero qui formam servarunt vacuæ et irritæ dicuntur quoad ordinis executionem, quemadmodum innuit *can. 5. cit. caus. 9. quæst. 1.* Ratio est quia, uti satis indicant *can. 23. caus. 1. q. 7. et can. 17. caus. 1. q. 1.*, qui amisit per hæresim vel schisma vel suspensionem usum et executionem ordinum, illam non potest aliis concedere. Hinc ordinatus ab hæretico vel schismatico admitti non potest ad exequendum ordinem, nisi ab auctoritate competenti fuerit dispensatus, ceu docet *c. 2. de schismaticis*. Hæc autem dispensatio a

proprio Episcopo dari potest si quis ignoraverit esse hæreticum vel schismaticum Episcopum a quo ordines recepit ex *c. 2. h. t.* Si vero scienter ordines susceperit a tali Episcopo, non poterit dispensari ab alio quam a Romano Pontifice arg. *c. nl. de Apostatis*, et a sensu contrario *c. 2. h. t.*

Ordinationes hæreticorum, schismaticorum etc. dici possunt vacuæ et nullius momenti etiam in sensu veteris disciplinae, qua ordinati legitime Ecclesiae adscribebantur, et assequebantur beneficium in titulum et locum in eadem Ecclesia. Ordinati autem ab Episcopo excommunicato, hæretico etc. nec beneficium nec locum in Ecclesia consequebantur. Quare irrita et vacua dicebatur ordinatio quoad titulum, non vero intrinsece et quoad characterem.

5. Hodie autem servanda est sanctio *Const. Apostolicæ Sedis*, in qua sub tit. de suspensionibus latae sententiæ summo Pontifici reservatis legimus *n. 6.* 'Suspensionem ab ordine ipso jure incurrunt, qui eundem ordinem recipere præsumserunt ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide, a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.' Dispensatio hæc non videtur esse reservata summo Pontifici; nulla enim mentio fit de ejusdem reservatione. Quare dispensatio hæc fieri debet prout de jure, idest juxta *cap. 2. h. t.* a proprio Episcopo concedi posse merito defendere licet.

TITULUS XIV.

De ætate, qualitate et ordine Præficiendorum.

1. Completo tractatu de ordine et de qualitatibus ordinandorum, nunc videndum est de qualitatibus eorum qui promoventur ad Prælaturas, beneficia vel ministeria ecclesiastica.

Quænam qualitates requiruntur in promovendis ad beneficia vel ministeria ecclesiastica? In genere *can. 4. dist. 23.* tradit assumendos esse ad ecclesiastica ministeria illos '*qui digne possint dominica sacramenta tractare et melius esse Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui onus grave Ordinatori adducant.*' Hæc regula inculcatur etiam in *cap. 14. h. t.* In specie autem

disserentes, primum de ætate requisita loquimur. Distinguendum vero est inter beneficia simplicia et duplicia, aut habentia curam animarum adnexam.

2. Antiquo jure ætas ad assequenda beneficia simplicia determinata non erat. *Tridentinum* vero de simplicibus beneficiis loquens in *c. 6. sess. 23. de Ref.* statuit nulli concedendum esse beneficium simplex, nisi sit constitutus in ætate annor. 14. Ergo ætas pubertatis requiritur, et discrimen apparet inter ætatem legitimam ad primam tonsuram et minores ordines suscipiendos, et ætatem ad beneficia obtinenda. Ad tonsuram enim et minores ordines sufficit ætas septennio major, ad beneficia vero etiam simplicia saltem annus 14. requiritur. Porro annus hic sufficit si sit inceptus, prout auctores docent, inter quos *Barbosa Comm. in hunc locum Tridentini* et *Fagnanus* qui tanquam de re hodie certa loquitur *comm. in c. 35. de Præb. n. 15.* Uterque auctor refert hanc opinionem fuisse per sententiam s. Congr. Concilii confirmatam. Quod si vero in lege foundationis cautum fuerit ut beneficium possit etiam impuberi conferri, cum *Tridentinum* per generalem prohibitionem non censeatur derogasse legibus foundationis, quas immo approbat et recipit *sess. 25. c. 9. de Ref.* hinc dici potest, beneficium hujusmodi conferri posse adolescenti qui 14 annorum ætate minor sit, dummodo vero per tonsuram fuerit in statu clericali initiatus. Qua in re *Fagnanus l. cit.* refert decisionem Rotæ, ac ita loquitur ut nullum amplius moveri posse videatur dubium. Excipiuntur tamen ea beneficia quæ ex dispositione juris adnexum habent ordinem sacrum. Hæc de simplicibus beneficiis; nunc de aliis.

3. De Episcopis jam vidimus ex *c. 7. de Elect. et Elect. pot.* requiri annos 30 completos. Ad Cardinalatus dignitatem ex *c. 1. sess. 23. de Ref. in Tridentino* videtur necessaria eadem ætas quæ pro Episcopis requiritur. Attamen pro Cardinalibus Diaconis ex *Const. Sixti V.* ea ætas requiritur, quæ ad sacrum Diaconatus ordinem recipiendum necessaria est, idest an. 23. inchoatus. (*Const. 'Postquam verus ille' edita Nonis Novemb. an. 1586.*) Pro quibuscumque Dignitatibus curam adnexam animarum habentibus annus 25. inceptus requiritur *c. 12. sess. 24. de Ref.* Concilium vero *Tridentinum* in *cit. loco* non loquitur de aliis beneficiis parochialibus. Quare quoad hæc beneficia servanda est antiqua lex expressa in *c. 14. de Elect. in 6º.* qua cautum est ut

clericus promotus ad beneficium parochiale infra annum a die promotionis promoveatur ad Sacerdotium. Quare in istis beneficiis sufficit talis ætas ut promotus possit infra annum presbyteratus ordinem suscipere.

4. Pro assequendis dignitatibus omnibus sive in Cathedrali Ecclesia sive in Collegiata, quibus cura animarum adnexa non est, licet juxta *c. 3. h. t.* sufficeret ætas annor. 14. tamen hodie ex *Trid. c. 12. § 'ad cæteras' sess. 24. de Ref.* requiritur ætas 22 annorum. Dixi 'etiam in collegiata Ecclesia' quia *Tridentinum* in *cit. loco* non distinguit inter ecclesiam cathedrali et collegiatam, et *s. Congr. Conc. in Brundusina 13. Jan. 1594.* et in aliis causis sub decreto Conc. Tridentini comprehendi etiam collegiatas ecclesias declaravit. Nec sufficit inceptus, sed completus requiritur annus 22. ex decisione *s. Cong. Conc. data in scriptis Episcopo Abulensi die 24. Sept. 1592.* quam citat *Fagnanus in Comm. ad c. 7. de Elect. et Elect. pot. n. 37.* Excipitur tamen casus, quo dignitati adnexum sit ordo presbyteralis; de qua hypothese inferius erit sermo.

5. Quoad Canonicatus Ecclesiarum cathedralium jure Decretalium ætas defixa non erat, sed solum in *Clem. 2. h. t.* definitum est ut quicumque canonicus non sit in ordine Subdiaconatus constitutus, vocem in Capitulo non habeat. Qui vero possidet præbendas quibus aliquis ordo adnexus est, statuit Clemens infra annum illum ordinem suscipere debere; si negligat suscipere, secluso legitimo impedimento, privari dimidia parte distributionum et voce in Capitulo. Concilium vero *Trid.* hac in re tria statuit in *c. 12. sess. 24. de Ref.* 1º. Ut nemo ad portionem vel Canonicatum aut Dignitatem recipiatur, nisi in eo ordine sacro sit initiatus quem Præbenda vel dignitas requirit, aut saltem intra annum initiari valeat. 2º. Ut in ecclesiis cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant adnexum ordinem Presbyteratus, Diaconatus vel Subdiaconatus. 3º. Episcopis committit ut cum consilio Capituli designent quibus præbendis quisque ordo ex sacris adnexus in posterum esse debeat; ita ut dimidia saltem pars Canonicorum Presbyteri sint, ceteri vero Diaconi aut Subdiaconi. Ex quibus dispositionibus consequitur hodierno jure in Cathedralibus ecclesiis ubi facta est distributio ab Episcopo in præbendas presbyterales, diaconales et subdiaconales, vel laudabili consuetudine hæc distributio reperitur inducta, eum solummodo posse assumi

ad Canonicatum in hisce Ecclesiis, qui in ea ætate sit constitutus ut infra annum possit ordinem adnexum præbendæ suæ suscipere. Hinc ad præbendam subdiaconalem assumi potest qui habet annum 20. completum, idest 21. inceptum, quia infra annum complebit annum 21. poteritque promoveri ad ordinem subdiaconatus. Ob eandem rationem pro diaconali præbenda sufficit annus 21. expletus, idest 22. inchoatus; et pro presbyterali præbenda sufficit annus 23. completus, idest 24. inceptus. Hæc vero ætas adeo necessaria est in Cathedralibus ubi præbendarum distributio in presbyteriales, diaconales etc. viget, ut si secus fiat, provisio sit prorsus irrita *c. 4. sess. 22. de Ref. in fin.* Verba hæc Tridentini sunt *'nec aliis in posterum fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem et cæteras habilitates integre habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio'*. — Quid vero si in aliqua Ecclesia Cathedrali neque ex consuetudine neque ex designatione Episcopi præbendæ canonicales habeant adnexum ordinem sacrum? Hoc in casu quoad ætatem requisitam servandum est jus aliis beneficiis ecclesiasticis commune, ita ut sufficiat ætas 14 annorum; jus autem hoc temporandum est juxta dispositionem *Clem. 2. h. t.* de qua supra vidimus, ita nempe ut non habeat vocem in capitulo qui saltem Subdiaconus non sit. Hinc proposito dubio in *s. Congr. Conc.* utrum Clericus qui ætate annor. 18 assecutus fuerat canonicatum in Cathedrali Ovetensi, in qua distributio facta non fuerat præbendarum in presbyterales, diaconales etc. privandus esset canonicatu ex eo quod ætatem competentem non haberet qua infra annum promoveri posset ad subdiaconatum, responsum prodiit: *Negative*. Quod responsum refert *Fagnanus com. ad c. 7. de Elect. n. 71.* Ratio est quia in casu, nondum peracta præbendarum distributione, locum habere non poterat lex Tridentini.

6. Quoad Canonicatus Ecclesiarum Collegiatarum nihil speciale statutum est in Tridentina Synodo, unde dispositione generali beneficiorum reguntur, idest ad canonicatum non sunt assumendi, qui nondum in anno 14. fuerint constituti; ceu etiam resolutum fuisse refert *Fagnanus in loco cit. nn. 84. et 85. a s. Congr. Concilii.* Ceterum ex *Clem. 2. h. t.* qui in Ecclesiis collegiatis mancipati sunt divino servitio nisi saltem constituti sint in subdiaconatus ordine voce careat in Capitulo.

7. Circa *pensiones* quæ dantur ex fructibus Beneficiorum ætas determinata non est; sed ex *Const. S. Pii V.* quæ incipit *'Sacrosanctum'*

et ex alia Constit. Sixti V. quæ incipit *'Cum Sacrosanctum'* requiritur ut nonnisi Clericus idest tonsura initiatus consequi possit talem pensionem. Hinc requiritur ætas necessaria ad tonsuram suscipiendam.

8. Si *queratur* a quonam possit dispensari in ætatis defectu, respondendum est, non dari in jure peculiarem dispositionem expressam, qua facultas hæc dispensandi tribuatur Episcopis. Hinc ea competit solummodo Rom. Pontifici, qui jure communi Superior est. Quod insuper deducitur ex speciali dispositione quæ Episcoporum ætatem respicit. Namque Clerici 30. anni ætate minores non possunt in Episcopos eligi, sed solummodo postulari possunt a Rom. Pontifice qui dispenset super impedimento ætatis. Quid vero si per dispensationem alicui conferatur Beneficium ante legitimam ætatem? Ex sententia *cap. 2. h. t.* non laicis, sed Clericis committenda est administratio beneficii usque dum ad legitimam ætatem pervenerit Clericus.

9. Quæstio proponitur de ordine requisito in promovendis ad beneficia et ministeria ecclesiastica. 1^m. Principium, determinatum in *c. 7. de Rescriptis*, est ut nullum beneficium etiam simplex illis conferatur, qui saltem prima tonsura initiati non sint. Hæc regula traditur etiam in *capp. 1. 3. et 5. De Cleric. Conjug.* Quæ regula ipsas pensiones ecclesiasticas respicit juxta cit. *Const. s. Pii V. et Sixti V.* Quod si aliquando etiam laici admittuntur, ut participant de fructibus beneficiorum, id ex speciali dispensatione Summi Pontificis solummodo contingere potest. — 2^m. Principium est ut beneficia simplicia in genere non exigant nisi primam tonsuram: *cap. 'Ex literis' de Transact. et c. 2. de Institut. et Const. Sixti V. 'Cum Sacrosanctam'*. Possunt vero habere ordines adnexos, ex fundatione, privilegio, consuetudine, vel statuto. *'Quædam vero'*, ait *Abbas in § infer. c. 7. de Elect.*, *'est adnexio ordinis respectu aptitudinis, quædam vero est adnexio ordinis respectu actus'*. Prima requirit ut tempore promotionis Clericus habeat ætatem qua possit ad ordinem requisitum promoveri: *c. 29. de Præb. in 6. et cap. 8. eod.* In secundo casu quando adnexio est respectu actus requiritur absolute ut qui assumitur ad beneficium tempore promotionis habeat illum ordinem. Quoad secundum casum nihil est innovatum.

10. Quoad vero primum casum in *Clem. 2. h. t.* et in *c. 4. sess. 22. de Ref. et c. 12. sess. 24. de Ref.* constitutum est ut

quando generice ad beneficium obtinendum aliquis sacer ordo requiritur, tunc sufficiat ut intra annum suscipiatur ordo ille. Quid vero dicendum si Clericus non receperit intra legitimum tempus ordinem suo beneficio adnexum? Generatim dicendum est contra illos adesse pœnam privationis beneficii *c. 1. h. t. et c. 7. § Inferiores de Elect.* Hæc vero pœna urget vel negligentes, vel contumaces; nam eos non tangit qui justo superveniente impedimento, infra annum ordinem, ad quem sunt arctati, recipere nequeant *c. 35. de Elect. in 6º. et Clem. 2. h. t.* Pariter annus incipit decurrere ab accepta pacifica possessione beneficii, vel ab eo tempore in quo Clericus promotus ad beneficium potuisset pacificam possessionem consequi, et per eum stetit quominus illam haberet. Qui annus debet esse integer, nec antequam totus elapsus sit, pœna applicari potest, quamvis prævideri posset promotum ad beneficium ordinem intra annum non fore suscepturum: *cit. c. 35. de Elect. in 6º.*

11. *Queritur*, utrum pœna privationis sit latae, vel ferendæ sententiæ. Antiquo jure expresso in *c. 7. de Elect. § Inferiora* privatio beneficii perficiebatur per judicis sententiam. Verba sunt *'ab illo removeantur beneficio'*. Hinc referens illud jus Greg. X. in *c. 14. de Elect. in 6.* addit, fuisse necessariam præviã admonitionem ad privationem illam decernendam. Verum quoad promotos ad beneficia curam animarum adnexam habentia res mutata est a Greg. X. in *cit. c. 14. de Elect. in 6º.* ubi statuit, præterlapso anno a tempore commissi officii privari ipso jure ab eodem officio et absque prævia monitione illum qui ordinem presbyteratus non suscepit. Cum vero in hoc capite solummodo mentio fiat de ecclesiis parochialibus, sequitur nihil esse mutatum circa alia beneficia quæ ordinem sacrum requirunt. Porro quod de parochialibus ecclesiis dicitur, etiam de Vicariis perpetuis dicendum est; quemadmodum aperte eruitur ex *Clem. un. de Offic. Vicar.*

12. Alia etiam pœna contra negligentem in sacerdotii receptione a Bonifacio VIII. in *eod. c. 35. de Elect. in 6º.* statuitur. Ut nempe clericus privatus de beneficio non possit pro ea vice etiam suscepto sacerdotio assumi ad idem beneficium. Hoc vero non excludit, eum posse deinde in aliis vacationibus illud consequi. — Quod si vero aliquis non sacerdos officium parochiale assumeret absque proposito suscipiendi infra annum ordinem presbyteratus et eo fine ut fructus perciperet per annum, dimissurus beneficium post annum

a capta possessione, tenetur ad fructus restituendos. Ita in *cap. cit. 35. de Elect. in 6º.*

13. *Queritur*, in quo ordine debeant reperiri qui sunt promovendi ad beneficia non simplicia. Et primo quidem si sermo sit de S. R. E. Cardinalibus, quoniam sacrum Collegium componitur ex Cardinalibus Episcopis, Presbyteris et Diaconis; hinc dignitati Cardinalatus adnexus est vel Ordo Presbyteralis vel Ordo Diaconatus. Quare juxta regulam generalem pro Cardinalibus sufficit, ut quisque intra annum suscipiat Ordinem proprio gradui adnexum. Verum ex *Const. Pii IV. 'In eligendis' § Statuimus*, data 7. Idib. Octob. an. 1562. et ex *Const. Greg. XV. 'Decet Rom. Pontificem' § Porro*, data 4. Idib. Martii 1621. Cardinales, qui saltem in Diaconatus ordine constituti non sint, voce activa ad eligendum Rom. Pontificem privantur.

14. Ante Innocentium III. et ante Conc. Later. IV. ut quis eligeretur in Episcopum, Diaconus saltem esse debebat; quia constitui non posse videbatur in supremo hierarchiæ gradu, qui nec in infimo ejusdem gradu reperiebatur. Hinc Subdiaconi postulari tantummodo poterant. Sed cum Subdiaconis eadem injungerentur obligationes, quas habent Diaconi, visum erat jam pluribus Doctoribus ut eadem quoad electionem jura subdiaconis tribuerentur quæ Diaconis competebant. Cui etiam accedebat ratio; quod nempe subdiaconatus jam fuerat ab *Urbano II.* in decretali relata a *Gratiano* in *can. XI. dist. 32.* sacris ordinibus aliquo modo comparatus. Hinc quæstionem dirimens *Innoc. III.* in *Conc. Later. IV.* statuit, Subdiaconum posse eligi in Episcopum. Hæc *Innocentii* decisio refertur in *c. 9. h. t.* Ex decreto autem *Conc. Trid. in sess. 22. c. 2.* qui eligitur in Episcopum debuit saltem per semestre sese exercuisse laudabiliter in ministerio ordinis sacri. Ideoque hodie non sufficit ordo Subdiaconatus receptus, sed requiritur ut promovendus in Episcopum fuerit per semestre in eodem saltem sacro ordine constitutus et laudabiliter versatus. Quod de Episcopis dictum est, applicari etiam debet Archiepiscopis, Primatibus et Patriarchis, eo quia quoad episcopalem characterem omnes isti sunt æquales. Porro qui ex Subdiacono eligitur in Episcopum, debet ante consecrationem promoveri ad Diaconatus et Presbyteratus ordines; arg. *can. Quoniam dist. 75.* Vetera autem documenta quæ post electionem Subdiaconi in Episcopum loquuntur de consecratione episcopali, intelligenda sunt ita ut non excludantur ordi-